malum sed vincat. Omnia adversa exercitationes virtutis exi-
stimat. Quis autem vir modo erectus non iusti laboris ap-
petens. Cui non industrio ocium pena est. Marcet sine
adversario virtus. Tunc apparet quanta sit quantumque polleat.
cum quid paciencia ostendit. Non quod sed qualiter feras
interest. Patrium deus adversus bonos viros habet ani-
mum non maternum. Et quos amat opibus dampnis No
et doloribus agitat. ut verum robur optineat. Nul-
lum sine ictu illesa felicitas. Miraris tu si
deus bonorum virorum amantissimus illis quos optimos
esse vult fortunam cum qua exerceantur assignat.
Spectat deus bonos viros cum aliqua calamitate luc-
tantes. Mors illos consecrat. quorum exitum et qui
timent laudant. Nichil mihi videtur infelicius eo cui
nichil umquam evenit adversi. Putat fortuna congre-
di cum homine vinci parato. Ignominiam iudicat gladi-
ator cum inferiore pugnare. Gloriosum est pro virtute
dura tollerare. Qui nimio patitur magis quam [illegible]
ci torquetur. Quid quisque possit nisi experiendo non di-
dicit. Gaudent magni viri aliquando rebus adversis
non aliter quam fortes viri bellis triumpho. Milites
viri gloriantur vulneribus et leti sanguinem fluentem